



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

IV. De consensu necessario ad Matrimonium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

violento matrimonium consummari,
& omnino insolubile fieri, quando-
quidem per talem copulam conjuges
fiant una caro. Unde si violata ingre-
diatur Religionem, vir in sæculo ma-
nens non potest aliud conjugium ini-
re, illâ vivente, quandoquidem per il-
lam copulam conjugium sit factum
insolubile.

CAPUT IV.

De cōsensu necessario ad matrimonium.

I. **Q**UAERO. *An matrimonium metu
contractum sit validum?* Resp. 1.
metus gravis ad extorquendū consen-
sum injustè incussus, invalidum red-
dit matrimonium. Resp. 2. metus qui-
cumque, qui non est incussus ad ex-
torquendum matrimonium, non red-
dit illud irritum. Resp. 3. metus gra-
vis si justè incutiatur etiam ad extor-
quendum consensum, non reddit ma-
trimonium invalidum. Ex his respo-
sionibus deducitur resolutio casuum
sequentium.

1. *Casus.* Si parentes alicujus filia
deflorata comprehendant illum qui
de

defloravit, & verberibus (aut metu mortis sive verborum quæ minantur ei manibus propriis infligere, & sese vindicare) extorqueant ab illo consensum, invalidum est matrimonium; nisi metu depositò, liberè postea consentiat. Ratio est, quia hic injustè vim & metum pati censetur, cum nec mortem, vel verbera, similemque vindictam gravem per se & propriâ auctoritate liceat inferre.

2. Si tales parentes defloratori vim talem non inferant, per verbera aut minas mortis à se inferendæ: sed solum minentur, nisi nubat cum ea, se à Judice pœnas debitas huic delicto procuraturos, atque actionem litemque intentaturos, validum est matrimonium, licet talis hoc metu inducatur ad consentiendum. Ratio est, quia talis merus non est injustè incussus, ideoq; magis censetur oriri ab intrinseco, cum procedat ex lege & natura delicti, quàm ab extrinseco; & non tam censetur incuti metus, quàm declarari quid debeat sibi metuere ratione

tionem delicti Et ita potius censetur auferri metus ob delictum concipiendus, offerendo ei matrimonium tamquam medium ad illum evadendum. Unde patet Judicem posse stupratori virginis mortem minari, nisi eam ducat; cum id legibus sit consonum. Sicut & potest Judex per excommunicationem cogere sponfos ad contrahendum: nec propterea irrita erunt hæc matrimonia, licet metu mortis, vel excommunicationis contracta.

3. Si quis matrimonium cum concubina metu morbi, vel naufragii contrahat, aliàs non consensurus, valet matrimonium, quia hic metus ab intrinseco est, nec inducitur ab alio ad matrimonium, sed à seipso: voluntariè enim eligit hoc, tamquam mediũ, ut evadat periculum animæ vel corporis.

4. Idem dicendum, si quis in carcere positus contrahat cum aliqua, ut evadat illum carcerem, aut id faciat, ut evadat mortem aliàs justam, si modò

Sf 4 tamen

tamen non sit in illum carcerem detrusus, aut in istud periculum mortis, animo extorquendi matrimonium.

2. *QUAERO. An matrimonium metu reverenziali contractum, irritum sit. R.* affirmative, quando metus ille gravis censetur. Metus autem reverenzialis is dicitur, qui contingit ex reverentia quæ debetur Prælati, Parentibus, ac Superioribus, v. g. quo filius patrem, pupillus tutorem, uxor maritum, subditus Principem timet. Itaque cum hic metus censetur gravis, non solum matrimonium, sed & professionem Religionis irritare certum est. Censetur autem gravis, quando minæ, gravia verba, vel gurgiam interseruntur ab illo, quem reveremur & timemus. Unde si filius vel subditus in aliquam consentit, solum quia vult Pater aut Princeps, aut aliàs si non faciat, offensio existimatur fore magna & diuturna cum asperitate vultus, vel verborum, censetur gravi metu consentire. Addunt aliqui, si parens vel alius cui hæc reverentia debetur, importunè urgeat & affi-

& assiduè petat. preces illas & importunitatem conjunctam cum illa reverentia, quæ superiori debetur, æquivalere metui gravi. Vidimus de facto ob similem importunitatem declaratum matrimonium nullum in Diocesi nostra novissimè in Parochia Advenæ Palisiensi; ubi quædam quæ ob metum reverentialem & importunitatem parentum consenserat, & coram Parocho consensum expresserat, numquam tamen à viro post longam licet cohabitationem adduci potuit, ut consummaret matrimonium. Undè postea allegato, & probato hoc metu, matrimonium nullum declaratum est manetque ex nunc illa libera.

3. *QUAERO. An qui ex metu tali contrahit, peccet?* Resp. quando coactus fictè cõsentit, peccat saltem venialiter, quia mentitur; secus si æquivocaret ut justè potest; non est verò mortale, quia non est mendacium perniciosum, inquit Filliuc, ex Sanchez, Quando autem verè consentit, nullo modo peccat, quia licet Sacramentum sit irritum,

ritum,

ritum, tamen ipse non est qui irritat, sed Ecclesia, & talis consensus definit esse vera materia & forma, ut docet Sanchez disp. 16.

4. *QUAERO.* *Quid si accedat copula carnalis?* Resp. si accedat copula, quia matrimonium prius metu contractum, validum putetur, nullum erit matrimonium. Ratio est, quia non additur copula ut matrimonium perficiatur, sed quia perfectum putatur, prius autem non erat perfectum, ergo nec iam perfici dicetur. Quod si sicut prior consensus ex metu gravi expressus fuit, ita etiam copula ex metu fiat, nullum erit matrimonium, etiam si esset intentio consummandi illud. Immo cum matrimonium sit irritum, copula etiam subsequens est mortalis, nisi ignorantia excuset existimantem hanc copulam ratificari matrimonium. Itaque ut validetur hoc matrimonium, debet pars coacto metu jam deposito consentire liberè & spontè, & tunc affectu conjugali liberè copula habita potest illud ratificare. Atque sufficit per copulam

pulam affectu conjugali habitam, consensum exprimere. Imò per diuturnam habitationem spontaneam ratificatur datâ oportunitate recedendi. Talis enim censetur sufficiens signum consensus spontanei de novo habitu. De quo Sanchez disp. 9.

5. **QUAERO.** *An non sit necessarium tales exprimere consensum de novo coram Parocho & testibus?* Resp. non esse, imò generaliter tradunt DD. quando aliqui semel contraxerunt coram Parocho & testibus, si ob impedimentum aliquod occultum non valuit matrimonium; sublato illo impedimento, sufficere quod inter se conjuges renovent consensum. De quo Sanchez latè disp. 17

6. **QUAERO.** *An non possit Pater præcipere matrimonium certum filio?* Resp. quando multum interest parentum, ut filius ineat certum matrimonium possunt præcipere; & filius nisi justam causam habeat, tenetur obedire: si modo velit statum matrimonii. Talis casus erit si necessarium judicetur matrimonium ad sedandas graves inimi-

citatis, aut ad subveniendum necessitati parentum. Extra similes casus non tenetur filius obedire patri præcipienti conjugium aliquod. Imò non peccat contrahendo invitis parentibus, si justam causam habeat; ut si injustè prohiberetur ab illis à matrimonio prætenso, aut si vellent eum collocare in matrimonio, à quo abhorret; puta, quia imprudenti, vel ægritudine laboranti volunt eum conjungere. Quod si filius non habeat justam causam contrahendi invitis parentibus, tenetur eos consulere, non tamen tenetur sequi eorum consilium sub peccato mortali. Unde nec peccabit mortaliter, si contrahat ipsis invitis, postquam consilium petiit. Ratio est, quia in matrimonio est quasi servitus perpetua, ad quam nemo potest compelli cum sit liberæ conditionis, & quisque libertatem debeat habere in electione status sui.

7. *QUAERO. Qualiter peccent parentes inducendo vel impediendo?* Resp. Parentes non possunt cogere per metum

tum gravem, nisi sub gravi peccato, ad certum matrimonium. Posset tamen Pater metum levem ex paterna increpatione inducere, ad hoc ut filius consentiat in certum matrimonium Resp. 2. non posse absque justa causa impedire, matrimonium prolium, quia sunt sui juris in electione status. Justa autem causa est, si filius inæquale & indignum ineat matrimonium. Dicitur autem *indignum*; quod sine dedecore juxta loci mores inire non potest; sive indignitas oriatur ex bonis animi, puta quia malis moribus est conjux: sive ex bonis fortunæ, quia valde pauper. Quod si filius ad tale matrimonium teneretur, vel quia defloravit, vel quia fidem dedit, peccat mortaliter Pater, si impediat per vim aut metum.

Potes an incurrat excommunicationem Pater metu vel vi impediens, aut ad certum matrimonium cogens? Id enim videtur indicari in *Trid. sess. 24. c. 9.* Respond. non incurrere, quia illa excommunicatio tantum fertur con-

tra Principes temporales, Magistratus, & alios habentes jurisdictionem in foro externo, ut docet communis sententia.

CAPUT V.

De debito conjugali.

QUAERO. *An teneatur sub peccato mortali conjux alteri debitum reddere?* Respond. non semper esse mortale, quia non semper petit conjux cum intentione obligandi adeo graviter. Sic nec creditor pecuniam sibi debitam sub illa ratione semper exigit, ut sit peccatum non reddere. Sic à mortali excusatur negans, imò quandoque & à veniali, cum remissè petitur, cum nimis frequenter & immoderatè, cum rationabilis item alia causa intercedit, puta in valetudo aliqua: vel quia plures proles sunt, quàm possint ab eis enutriri. Intelligi autem hæc debent nisi in petente periculum incontinentiæ adverteretur. Atque *advertet*, quando uxor etiam solum tacitè petit, virum teneri reddere: imò
quand